

lari die $\frac{2}{12}$ Aug. horâ 11. imperitis volebant persuadere, prædicentes: *Istiusmodi generis Eclipsin non fuisse intra 2239 annos, ita ut videndus Sol quasi fuisse à Cælo deperditus, & dies extremi iudicii exinde brevi expectandus, &c.* quod tamen minime subsequeretur, quia Sol post Lunam penitus non latebat, ne quicquam Solis cerneretur, imò vulgus nullam omnino diei obscuracionem sentiebat.

Ex quibus & aliis videndum, experientiam in iis (quando scilicet dicunt, Solem in Apogæo & Lunam in Perigæo, sequi majorem Solis: seu quando Sol in Perigæo & Luna in Apogæo, sequi majorem Lunæ Eclipsin, & longiorem ejus durationem) contrarium demonstrare, & dictum Apogæum & Perigæum in Sole nihil, in Luna parum & incertum esse.

Imò per Eclipses hoc Apogæum & Perigæum probari non posse, monstrat ipsa via quam induxit Ptolemæus, quamve secutus Albategnius; quia angulos diversæ quantitatis constituit; differentia enim inter angulum Lunæ subtensum in Apogæo epicycli & angulum ejusdem subtensum in Perigæo, fuit Ptolemæo 4 min: At Albategnio 5 min. 50. Item angulus in Apogæo subtensus Ptolemæo 31. 20. Albategnio verò 29. 30. &c. Videatur Regiomont. lib. 5. Epitom. prop. 21. Cùm verò observationes hæc sint ex eadem indagine, debeant esse concordantes. Similes his Recentiorum possent in hoc negotio differentiarum adduci, quæ tamen ex aëris (diverso tempore) diversâ altitudine existunt, quas brevitatis studio omittimus.

CAPUT XXV.

De Telluris Interitu.

Terra sicut habuit ortum, habebit quoque suum interitum; Et quidem per ignem, quod multis argumentis Philosophicis probandum:

Vox itaque impiorum est, teste Apostolo Petro, dicentium:

Ubi est promissio aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius & terra de aqua & per aquam consistens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cæli autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii & perditionis impiorum hominum. Unum autem hoc ne vos fugiat dilecti, unum diem apud Dominum perinde esse ut mille annos, & mille annos ut diem unum. Non tardat Dominus promissionem, ut nonnulli tarditatem hoc esse ducunt, sed patiente est animo erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad respiciendam tendere. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transibunt, elementa verò calore solvantur, Terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia

dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus & pietatis officiis, expectantes & properantes ad adventum diei Dei, in quo cæli confluentes solventur & elementa æstuantia liquefcent. Sed Cælos novos ac Terram novam secundum promissionem ejus expectamus, in quibus justitia inhabitat.

In quibus verbis Petrus opponit Terræ & Cælis qui erant prius, Terram ac Cælos qui nunc sunt; Quod, sicut illi, pereunte illo Mundo, perierunt diluvio aquarum: Ita hi Cæli & Terra peribunt diluvio ignis, ulciscente Deo hominum scelera. In diluvio autem non perierunt Mundus cum Cælis seu Sphæris aliorum corporum Mundanorum (nimirum Planetarum, Solis & Fixarum) sed ruptis cataractis, aquâ Cæli aërei ad Terram pertinentis unâ cum iis omnibus, quibuscum scilicet Terra constituit unum corpus, perierunt. Ergò, qui germanam Petri sententiam sectari vult, admittit per Cælos hoc loco intelligi aëreum Cælum & totum corpus hoc Terre, igne periturum.

Uti autem interitum mundi, per dilu-